

B. N. II. 178.

h. 50, 4.

68 (XAB7429)

I. N. S. T. A.

Pi  
1814

De  
**ORDINE MILI-  
TUM TEMPLI,**  
DISPUTATIO HISTORICA,

*Quam*

Sub PRÆSIDIO

VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI,  
EXCELLENTISSIMIQUE

**DN. ÆGIDI STRAUCHII,**

S.S. Theol. D. Facult. Theol. Assessoris, & Histor.

P. P. longè celebratissimi,

Domini, Præceptoris & Patroni sui æternâ honoris  
observantia μέχεται φοροῦ prosequendi

Litteratorum publicæ ventilationi  
exhibit

**M. ANDREAS BAUDISIUS,**

Lignicio-Silesius,

Ad diem 17. April. Anno 1669.

In Auditorio Majori.

WITTERERGÆ,

Typis MICHAELIS Wende.

6



I. N. S. T. A.

§. I.

EMPLARIO RUM Historiam

en talu pugn & ab imâ stirpe exorsuris, præfandum aliquid est, de funesto temporum statu, qvibus eorum societas coalescere cœpit. Ut omnium bellorum comites sunt rapinæ, cædes, incendia, omnia armis, cada veribus, cruento atq; luctu complementur; ita eum, qvando ab Occidente Christiano barbarus debellabatur Oriens, omnia Saracenorum Turcorumq; infestis excursionibus erant obnoxia. Non aperto tantum Marte, sed insidiis etiam petebant Nostratum copias, latenter & gregatim exēundo è suis castris, ut qvocunq; modo possent, damno effent Christianis. In primis vias obsidebant crudelissimi latrones, & qvos iter facientes deprehendebant, sive arinatos, sive inermes, sive militæ, sive mercaturæ detitos, opibus & vitâ privabant. Cum intelligerent, clandestinis itineribus nocturnisq; qværendi victus gratiâ Christianos ad mare descendere, & circa urbem evagari, missis nonnullis, locorum habentibus peritiam, sæpè magnam stragem ediderunt. Succensis dein navibus, & Nautis mercatoribusq; ut plurimum interfectis, omnem salutis spem miseris Nostratum cohortibus intercluserunt. Wilhelm. Tyr. Hist. L. 6. c. 9. Eodem fato periere, qui exercitum Marrâ discedentem æquis subseqvi passibus non poterant, ut idem L. 7. c. 13. tradit. Plura latrocinii specimina recensita vide in Histor. Hierosol. Raimundi de Agiles. Imò ne iis quidem mitiores erant, qvos pia devotio peregrinantum Eremitarum habitu ad invisenda loca Christi Salvatoris miraculis, vestigiis, & passione famosa traxerat, qvibus tamen à Calyphâ non modo iter salvum, sed & Dominici sepulcri usus, aliaq; gratiösè concessa erant.

divis

A 2

§. 2. In-

¶ 2. Infelicem hanc iter facientium conditionem ægerrimè tulerunt generosi quidam & fortis Viri. Nominantur ante alios: Hugo de Paganis, & Gaufredus de S. Almaro (vel ut promiscuè apud Autores legitur, de S. Aldemaro, vel de S. Alexandro, vel de S. Odemaro) qui adscitis in societatem septem aliis Commilitonibus auxilio peregrinantibus esse decreverunt. Et ne temerarii propositi culpam incurrerent, detulerunt rem ad Regem & Patriarcham Hierosolymitanum, aliosq; regni Proceres, qui piis Templariorum fortibusq; consiliis subsidio non defuerunt. Ut enim Wilhelmi Tyrii verbis ex L. 12. c. 2. loquar, quoniam iis neq; Ecclesia erat, neq; certum habebant domicilium, Rex in palatio, qvod secus templum Domini ad australem habet partem, eis ad tempus concessit habitaculum. Canonici verò templi Domini plateam, qvam circa predictum habebant palatium, ad opus officinarum, certis quibusdam conditionibus concesserunt. Dominus autem Rex cum suis Proceribus, Dominus quoq; Patriarcha cum Prælatis Ecclesiarum de propriis dominicalibus certa eis pro victu & amictu beneficia, quædam ad tempus, quædam in perpetuum contulerunt.

¶ 3. Volateranus L. 21. & Polydorus, L. 7. c. 8. citante Hospi- niano de Orig. Monach. c. 20. fol. 168. eos in ipso templo habitasse scribunt. Nec abludit ab hâc opinione S. Bernhardus, Abbas Clarevallensis, qui in parænesi ad Milites templi, Hugoni Magistro dicatâ c. 4. & 5. juxta Centur. Mægdeburg. XII. C. 6. p. 394. hæc habet: Est verò templum Hierosolymis, in quo pariter habitant, antiquo & famosissimo illo Salomonis, impar quidem structurâ, sed non inferius gloriâ: Siquidem universa illius magnificentia in corruptilibus, auro & argento, in quadraturâ lapidum & varietate lignorum contingebatur. hujus autem omnis decor & gratae venustatis ornatus, pia est habitantium religiositas, & ordinatissima conversatio: Si conjecturis litem hanc, juxta teplumnè, an in ipso habitaverint Templarii, dirimere fas est, videntur prioris sententiæ defensores prima ineuntis Ordinis domicilia describere: nec tam contradicere illis, qui in templo Templarios habitasse perhibent, acceptâ nimirum confirmatione & approbatione Ordinis à Pontificibus Romano & Hierosolymitano. Cum enim habitu-  
-m. s. 2. civilii

civili uterentur, & nondum monasticis legibus constringerentur, juxta templum eos hospitio à Rege exceptos fuisse, probabile est, cuius possessionem & defensionem omnimodam indulit Patriarchæ sibi vendicarunt, postquam vestes & regulas monachales adepti sunt. Sive in templo autem, sive juxta templum habitarint, certè à templo nomen sortiti sunt, ut dicantur Milites templi, Ordo militiæ templi, Fratres militiæ templi: Templarii, die Deimpel-Herren.

§. 4. De tempore vero, quō primū coivere Templarii, non eadem Historicorum est traditio. Alii primordia eorum referunt ad An. 1110. cum Sebastiano Franck in Chron. fol. 470. Wolfio Lect. Memor. & recondit. Centen. XII. p. 331. Alstedio Encyclop. L. XX. Hist. c. 7. §. 3. p. 2856. Alii ad A. 1118. cum Wilhelmo Tyrio L. 12. c. 7. Genebr. cit. Hotting. Sect. I. Christ. §. II. p. 100. Baronio Annal. Ecclesiast. T. 12. §. 21. An. 1118. Alii ad Annum 1123. cum Antonio cit. Centur. Magdeburgens. Alii ad Annum 1128. referente Hospiniano & Wolfio II. cc. Verùm si Marino Sanuto Torsello L. 3. Secret. fidel. Crucis P. 8. c. 2. & Jacobo de Vitriaco L. I. c. 65. fidem adhibemus, Ordo Militum Templi A. 1128. non tām institutus, qvām novenrio post institutionē transacto confirmatus est. Novem igitur, aut qvod excedit, annis deīntis, præstare eorum calculus videtur, qvi initia ad An. 1118. restringunt, qvō summæ Imperii Germanici præerat Henricus V. Constantinopolitani Johannes, Alexii Comneni Filius; Hierosolymitani Balduinus II. Romanæ Ecclesiæ Pontifice Maximo Gelasio II. Hierosolymitanæ Patriarchæ ex Latinis qvarto Arnulfo, vel Hernoldo. Dein, si verum est, qvod tradit Hospiniānus, omnes fere consensu unanimi Scriptores Templariorum natales in illud referre tempus, qvō Romæ imperavit Papa Gelasius II., non potest non annus 1118. originem dedisse Templariis: Anno enim 1110. Gelasius ille Papa ne quidem erat Gelasius, sed Johannes Cajetanus Monachus Cassinensis & R. E. Cancellarius audiebat. Annis v. 1123. & 1128. solio papali & ipsa adeò vitâ cesserat. Uno nimium anno 1118. pontificati præfuit, qvō ipso Paschali II. Antecessori à Clero substitutus, & Antipapæ Cæsaris auctoritate electo, Mauritio puta, Bracherensi Episcopo oppositus, anno subseqvo 1119. 4. Cal. Febr. vitâ defunctus est. Ita

etiam quam proximè accedimus ad illos Scriptores, qui expeditiōnibus Orientalibus coævi aut præsentes fuerunt; in primis ad Wilhelμum Tyrium, in historiâ Hierosolymitanâ non facile deferendum. Ipse enim (ut ait in præfatiunculâ L. 16.) quæ contexuit in Historiâ, partim aliorum, quibus prisci temporis famulabatur memoria, relatione collegit, & rei veritatem, gestorum seriem, annorumq; numerum, quantum potuit, scripto mandavit: partim ipse fide conspexit oculatâ, partim eorum, qui rebus gestis præsentes interfuerunt, fidâ accepit relatione.

§. 5. Hæc de auspiciis, nunc ad incrementa Templariorum descendimus. Ea exigua erant primùm, & quasi fatos fieret, novem illis congregatis Militibus novem annis nemo suum nomen profitebatur. Præterea nullum discrimen victus & amictus habebant, sed habitu seculari talibus utebantur vestimentis, qualia pro remediis animarum suarum populus largiebatur, ut inquit Tyrius. Cum igitur in Galliis Concilium Trecense indixisset Honorius II. Papa, proposita est in eodem rogatu Patriarchæ Hierosolymitani Templariorum conditio. Legationis vices ad Synodum dictam in se suscepit Bernhardus, à quo postulatum est, ut novo Ordini formam vivendi præscriberet. Ac est inter ejus opera exhortatio quidem ad Milites templi scripta, paulò ante citata, ut testantur Cent. Magdeb. in vita Bernhardi Cent. 12. c. 10. p. 809. Regulæ tamen à se scriptæ nusquam facit mentionem. Cæterum gratificatus Pontifex in Concilio petitis, regulas habitumque novum assignavit Templariis, album videlicet. Post hæc tempore Evgenii Papæ crucis rubeas vestimentis suis affixerunt, quibus promptitudinem pro Christo moriendi significarunt.

§. 6. Inter præcipuas vitæ regulas eminuere sequentes, quas ex Jacobo de Vitriaco, & parænesi Bernhardi ad Milites templi à Cent. Magd. Cent. XII. p. 393. allegatâ recensebimus. Primò omnium Patriarchæ Hierosolymitano decimas pendere, dein Magistri sui imperio subesse, sive in ocio, sive in armis essent, tenebantur. Ab hoc recipiendi in Ordinem seriò ad castitatem, voluntariam egestatem, & defensionem peregrinantibus ad loca sacra præstandam adgebantur. Castitatis specimina ut illustriora escent, conjugii usu prohibebantur. Paupertatis speciem præse ferre ne-

re necessitas primū, pōst utilitas svadebat. Opes enim sibi Autōres ordinis promittere non poterant, cum viderent infelices ejus successūs. Ad hæc non prōficuum erat, divitiis Magnatum invidiam excitare, qvorum misericordiā juvāri volebant. Quid? qvod rerum copia excidium plerumq; magis, qvām salutem accelerat; nam homines luxuriant rebus secundis, & pudor per aurum solvit, violatur auro integritas, pax occidit, fides perit, lēges & ipsæ intercidunt. Præviderunt hæc sine dubio non ordinis Templariorum modō, sed aliorum etiam ordinum Autores. Itaq; Rhodiis s. Melitensibus Equitibus penuriæ studium his verbis commendatur à Brabevtā: Nos te recognoscimus esse servum pauperum infirmorum. Et olim Eqvites Teutonicorum Marianorum solemni hāc formulā recipiebāntur, qvām habet Sebastianus Franck: Wir sagen euch Wasser und Brod zu / und deß genung / darzu eine geringe Kleidung euer lebenlāng; Wird es besser / so habt ihrs auch / mehr sind wir euch nicht schuldig. Simili, si non prorsus eādem formulā Novitios Templi milites initiatos esse, facilis conjectura est, qvandoqvidem Teutonici professionem, regulas, & institutio-nes omnes Templariorum tām in bello qvām pace exactissimè ob-servarunt; ut perhibet Jacobus de Vitriaco.

§. 7. Receptis Iege injungebatur mutua Concordia, ut omnis multitudinis unum cor & una anima esset. Luxum, aleas, Venationes, jocum & ocia sectari nefas erat, ne qui extrinsecus viri apparebant, intus mollitie effōeminati dici possent. Inanibus verborum strepitibus, aut insolenti jactantiæ, aut cachinno immoderato, aut iis, qvæ honestati vim inferebant, indulgere neutiqvam licebat. In bello nec timidè, nec tumidè, nec temere qvidqvam gerere eos oportebat. Ad nutum & imperium Magistri sui non non inordinatè & confusè, sed cautè prudenterque cāstra movebant. Vexillum bipartitum ex albo & nigro, qvod nominabant Bauceant, prævium seqvebantur, ut testarentur se hostibus atros & atroces, amicis verò Christi candidos & benignos futuros esse. Primi erant in progrediendo, in regrediendo postremi, nec fas erat sine mandato Magistri pedem referre, aut in fugâ salutem qværere. Capti à Barbaris solo Cingulo & cultello redimebantur. Ideò cū Saladinus pro nepote suo à Christianis in vincula conjecto Magistrum

strum Templi captivum offerret, gravissimè hic contradixit, non esse moris militum Templi, caussatus, ut alio lytro, quam cultro cinguloque redimatur captivus; atq; adeò in carcere periit. Ne verò leges hæ minus ad pœnam, qvam ad obœdientiam obligarent, rigidæ in transgressores animadversiones constitutæ erant, sed qvæ pro delictorum varietate variabant. Mitiùs puniendi mensâ herili excludebantur, atque in terrâ cibum capiebant, qvô canes famelicos arcere non licebat. Pœnam indignam generosis animis recte dixeris, communem cum Canibus mensam, cibum patinamq; habere. Alii ad tempus, aut si graviùs deliqvissent, perpetuò ad vincula condemnabantur: Alii rubrâ cruce iterum pro sceleris atrocitate vel ad tempus, vel perpetuò privabantur. Alii irreocabiliter ordine ejiciebantur, ne unius ovis morbidæ contagio totus grex inficeretur.

§. 8. Redacti hōc modo in Ordinem, legumq; suarum observantissimi Templarii omnium applausūs, laudes affectūsque promerebant. Nomen, ait Jacobus de Vitriaco, honestatis Templiorum, & fama sanctitatis, quasi cella aromatica redolens savitatem odoris, diffusa est per mundum universum, & impleta est domus sanctæ Ecclesiæ ex odore ungventi, & memoria eorum in ore omnium fidelium quasi mellis dulcedinem sapiebat. D. Bernhardus, quasi præ stupore singulares eorum mores, pietatem, fortitudinemque capere non posset, qvid, ait, dicendum, nisi à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Accessit statim Christianorum liberalitas, qui tām prodigè facultates suas in Templarios congesserunt, ut brevi ipsis Regibus ditiores fierent referente Matth. Paris. Oppida enim, pagos, & villas per universum orbem Christianum possidebant, ex quibus redditūs collectos pro defensione terræ sanctæ Magistro suo Hierosolymas mittebant. Insuper milites non tantūm gregarii, sed Duces professionis Templiorum participes futuri confluebant. Eorum stipendiis qui vivebant, serventes dicebantur, qui omnes sanguinem, quem pro Christo voverant, masculè libabant. Speidelius ex Wigulei Hund. Geneal. Bavaria recensente Francisco Theatr. Curios. p. 752. tradit, fuisse olim Ritter ohne Müh, in electione Regis Romani præter merita sua creatos: At verò Templarii Eqvites ex nonnisi labore gloriā petebat, & per



& per varios casus, variaq; rerum discrimina in fastigium famæ suæ enitebantur. Illi qvoties castra movebantur, agminum ductores & defensores præbant, insidias evertebant, hostes invadebant, urgebant reluctantes, succurrebant pressis, profligabant cædebantq; adversos, aut si aliter ferebat sors, gloriosâ morte succumbebant ipsi. Illi urbes obsidebant, expugnabantq; & peragrande hostile solum multa suæ ditioni adjiciebant; nec fortiter minus semel parta tuebantur, magno Saracenorum damno. Nec facile qvidqvam Templariorum seculo gloriösè gestum est à Christianis, in quo non singularia virtutis eorum vestigia eluxerint. Nobis verò ea sigillatim recensere integrum non est, cum ingens dicendorum cumulus adhuc supersit, Conferat, qvi penitus omnia nōsse avet, Wilhelm. Tyrium Histor. L. 21. c. 22. 23. 26. Jacobum de Vitriaco L. 3. sub Annis D. 1217. 1218. 1219. Historiam item Hierosolymitanam Auctoris incerti, qvæ est in Orient. Histor. T. 1. p. 153. 165. Facile est, ex honoribus æstimare merita, si illi diligentius expendantur. Templarii enim ob illustres & frequentissimas victorias Macca-bæis similes habebantur, dicebaturq; de iis, qvod Devter. 32. v. 30. legitur: Unus perseqvebatur mille, & duo decem millia, nec qvot essent, sed ubi essent, qværebatur. Jacob de Vitriaco L. 1. c. 65. Alexander III. Papa in Concilio Lateranensi, vel qvæ eam non diu post secuta est, sancivit, ut excommunicetur, qvi Templariis vim intulerit. Hostibus verò suis adeò formidabiles erant, ut Saladinus ab iis plurimum damni infligi sibi fassus fuerit, atq; ideo, deleturus præcipuum Christiani exercitus robur, captivos omnes interfecit.

§. 9. Sed ut nihil in humanis rebus est stabile, omniaq; fatis in pejus ruunt, & retrò sublapsa referuntur: ita Templarii etiam successu temporis inter feria jocos & libidines admisserunt, mutatiq; ab avitâ virtute defecerunt. Scaturigo malii non obscurè à Clarissimis Historicis indicatur, fuitq; nimia opum affluentia, fœcunda luxus & superbiæ mater. Acriter hoc nomine perstringit illos D. Bernhardus, inter alia multa hæc habens: Vos in oculorum gravamen fœmineo ritu comam nu-

B

tritis



tritis, longis & profusis canisii propria vobis vestimenta ob-  
volvitis, delicatas ac teneras manus amplis ac circumfluentibus  
manicis sepelitis. Nec aliud inter Vos bella movet, litesque  
fuscoitat, nisi aut irrationalis iracundiae motus, aut inanis gloriae  
appetitus, aut terrenae qualiscunq; possessionis cupiditas. Usq;  
adeò verum est, qvod Bion eleganter ait apud Senecam: Non  
est, qvod putas omnibus divitias convenire, nihil est insolentius  
divite novitio; apud hunc enim pecunia est in imperio,  
apud Virum sapientem in servitute. Accipe vero, qvae male  
facta à Templariis reperiuntur. Querelam haud dubie primam  
movet Patriarcha Hierosolymitanus, cuius obediencie non  
modò se subtraxerunt, sed qvod gravius est, cui decimas ex  
debito offerendas pendere detrectarunt. Cumq; haec res ad cu-  
riam Romanam deferretur, emercati auro ejus gratiam, facile  
obtinuerunt, ne qvid Patriarchae ab eâ subsidii existeret. Par  
perfidiâ, ne redditum jacturam facerent, ignominiam con-  
traxisse sibi dicuntur in obsidione Ptolemaidæ, in qua discordias  
seminârunt inter Christianos, qibus optimorum Consiliorum  
successus sufflaminârunt. Quid non mortalia pectora cogit  
auri sacra fames? Assissinorum (populi in provincia Tyrensi,  
qvae Phœnicis dicitur, decem castella Templariorum ditionibus  
contermina tunc temporis habentis) Praefectus, sive Senior  
cum Sacri Codicis lectione alienor à Mahumedismo ad fidem  
Christianam inclinaret, Virum prudentem ad Amalricum Re-  
gem ablegabat, eiq; fœdus & promtitudinem gentis suæ reci-  
piendi Christianorum fidem & baptisma offerebat. Erat au-  
tem inter fœderis momenta præcipuum, ut finitimi Templarii  
duo millia aureorum, qvae singulis annis ab Assissinis, velut  
tributum, exigebant, ex amore & novâ fraternitate remitte-  
rent. Rex æqvitatem postulati pensitans annuebat, statuebatq;  
duo illa aureorum millia Templariis ex ærario regio numerare,  
ut facilius pacta inirent. Hi vero scelesto ausu fœdus rumpe-  
bant, Legatumq; regiâ autoritate ad suos reversurum, & nihil  
tale metuentem perimebant. Tyrius L. 20. c. 31. 32. Cum Fri-  
dericus Imperator pace factâ cum Sultano decennali, in Jordani-  
nem,

nem, ubi Christus baptizatus est, loturus exspaciaretur, id-  
ipsum Templarii, ut & Hospitalarii Sultano, ne capiendi Cæ-  
farem occasionem prætermitteret, significârunt. Sultanus verò  
hominum perfidiâ offensus, & pacis servandæ studiosus, episto-  
lam à Templariis proditoribus scriptam Cæfari legendam misit,  
teste Matth. Parif. cit. Hottingero P. III. c 13. S. II. de Mahum.  
p. 506. Ita perfidiâ splendorem ordini suo acquirere volebant,  
qvibus veteris candoris parùm superesse videbatur, qviq; le-  
gum immemores ex suo arbitrio vivebant. Graviter eos hoc  
nomine objurgavit Saladinus, cum ad eum, Magistrum, aliosq;  
præstantes sui ordinis Eqvites captivos magna vi pecuniæ ali-  
qvando redempturi venirent: Mala, dixit, malis addentes, &  
ordinis vestri transgressiones transgressionibus accumulantes,  
Magistros ac Fratres vestros captivos magno auri pondere cu-  
pit is redimere, qvos non nisi zonâ qvâdam, vel capistro, secun-  
dum ordinis vestri regulam novimus redimendos. Qvô re-  
sponso dato suffusos rubore Templarios torvo vultu adspexit,  
atq; re infectâ discedere jussit.

§. 10. Plura æqvè gravia & horrenda flagitia recensent  
Scriptores, qvæ tamen nos consultò præteribimus, ut qvæ fidem  
vix merent. Quid? qvod ea etiam qvæ nos retulimus, non-  
dum ab omnibus concessa sunt, sed à multis haud sublestæ fidei  
Autoribus vel negantur, vel tacentur, vel in dubium vocantur.  
Prætereà iniqvum esset singulis imputare ( distributivè ) qvæ  
dicuntur de omnibus ( collectivè ) ideò, qvia vel à plerisq;, vel  
à Primatibus ordinis commissa sunt. Nec opinamur, Templa-  
rios singulos & omnes usq; adeò à Majorum indole degenerâsse,  
ut nihil prorsus laudabile ab iis gestum dici poscit. Non præ-  
sumemus hoc temerè de iis, qui eò tempore, qvô ob ingentia  
flagitia pessimè audiabant, nihilominus Pugiles Fidei appella-  
bantur, ut videre est in Epistolâ Clementis V. Pontif. Max-  
datâ Avenione X. Cal. Dec. 1310. ad Abbatem Cistertiens. Mo-  
nast. Cabilonensis Diœc. His tamen insuper habitis, ab enumera-  
tatis Templariorum vitiis multi ansam arripuerunt, qverelas



idem domorum, usq; ad finem vitæ aluntor: neq;  
ad seculum revertuntur; neq; professi ac sacris  
ordinibus iniciati matrimonia ineunto. Bona  
omnia ejus extincti Ordinis, milites S. Joannis  
Hierosolymitani in possessionem perpetuam acci-  
piunto: Reges & Principes quicunq; nequicquam  
ex eis usurpanto. Conf. Bzovius Annal. Ecclesiast. Tom.  
XIV. ab Anno 1308. ad 1313. pag. 100. .... 195.

§. 12. Publicata est, ut diximus, sententia hæc Anno. 1313.  
qvam executio duobus qvasi annis antecessit. Nam ut constat ex  
Bzovio A. C. 1311. d. 13. Octobr. omnes Templarii in Galliis, qvasi  
signo dato, comprehensi & tormentis objecti; Ordinis Magister,  
Jacobus Mola Burgundus, qvi Regis Philippi Filium ex sacro  
fonte susceperebat, aliquæ strenui Viri, vivi rogo impositi, & flam-  
mis exusti, eodemq; supplicio plurimi alii affecti: In Arrago-  
niâ cum armis se defenderent, à Rege oppugnati, oppressi aut  
capti sunt. Nec mitior pœna manebat eos, qvi in Germaniâ  
supererant. Clemens Papa enim Archi-Episcopo Moguntino  
executionem demandaverat. Publicaturus igitur Archi-Epi-  
scopus Pontificis decreta, Synodum Moguntiæ in domo capitu-  
lari coëgit. Ibi in medium cœtum ingressus est Hugo Comes  
Sylvestris (Waldgraff) cum XX. militibus, Ordinis habitu in-  
dutis, qvo arma occultabant. Comes Archi-Episcopum allo-  
cutus dixit, audivisse se, Fratres suos in Synodo hac damnans  
dos, rogare autem nomine Collegii, ut appellare liceat ad fu-  
turum Papam. Archi-Episcopus armatis resistere veritus est,  
admisitque Templariorum appellationem, in qvâ per calumniam  
affingi sibi scelera, insontesq; se damnari professi sunt. Conf.  
Gesnerus L. 2. de Concil. p. 524. & Naucler. gener. 43. Absoluti  
igitur crimine, ita tamen, ut nomina & leges mutarent, distri-  
butis personis in alios ordines, bonis verò distractis, & ad alia  
insuntis. Maxima tamen pars Philippo Regi Franciæ, Hospi-  
talariis S. Joannis, & Teutonicis Marianis Eqvitibus cessit. In

Portu-

Portugallia novo Ordini militum Jesu Christi contra Saracenos  
instituto, aliisque duobus ordinibus militaribus à Jacobo Rege  
erectis, quorum alter Montesiae, alter Gregorio sacer erat, Tem-  
plariorum opes destinatae sunt. Bzovius A. C. 1317. Sect. 22. Bo-  
sius in Hist. mil. Hierof. Calvisius A. C. 1319. Hotting. Hist. Ec-  
cles. P. III. p. 750.

§. 13. In forum nunc eamus, & jurene, an injuriā crude-  
lem hanc persecutionem tulerint Templarii, disqviramus.  
Quidquid Cassanæus in Catalog. gloriæ mundi P. 9. obs. 5. cit.  
Camer. Medit. Hist. Cent. 3. c. 90. p. 340. dicat, nos tamen sta-  
mus à damnatorum partibus, & Papam, Reges, Patres, Judi-  
cesque omnes iniqvitatis reos facimus. Aliter sanè haud possu-  
mus, cum pensitamus, pleraq; scelera conficta fuisse, quæ Tem-  
plariis objecta sunt in Concilio, & Papam gloriæ & desiderio  
Regis Franciæ magis, quam justitiæ litasse. Hic enim partim  
odio erga Jacobum Magistrum, partim cupidine in bona Tem-  
plariorum involandi accensus, hæreseos & Apostasie scelera  
Templariis imputavit, quæ ipsi nunquam perpetrârunt. Agno-  
scunt hoc illi etiam, qui prolixissimi sunt in recensendis Templa-  
riorum flagitiis, Tholosanus Syntagm. Juris Univ. L. 15. c. 3.  
Jacob. Meierius L. II. Hist. Flandr. Gvilielm. Paradinus in Chron.  
Sabaud. L. 2. c. 16. Claud. Ptolomæi l. 4. Epistolarum Italicè scripta-  
rum ex versione Camer. l. c. p. 338. Agnoverunt hoc plerique,  
quos Templariorum innocentia ad eam sympathiam movit, ut  
ossa injustè supplicio affectorum studiosè asservârint, & eos pro  
martyribus habuerint. vid. Gesnerus & Hottingerus ll. cc. ex  
Naucler. Gen. 44. p. 244. Et quid opus est verbis, ubi rerum  
testimonia adsunt? Habet idem Nauclerus, Templarios signum  
innocentiae suæ in Synodo Moguntinâ dedisse, dum pallia sua  
candida criticis signo notata flammis injecerunt, quæ tamen ab  
ignis injuriā integra conservata sunt. Imò ipse Papa in edicto  
6. Non. Maji Anno 1312. promulgato fatetur, se per definiti-  
vam sententiam, per processus & inquisitiones de jure non con-  
demnasse Templarios, sed per viam provisionis, seu Ordinatio-  
nis

*QH*  
*1811*

nis Apostolicæ. Satis pro imperio: sic volo, sic jubeo, stet pro ratione voluntas. Irritum est, qvod Seneca in Medeâ ait: Qui statuit aliqvid parte inauditâ alterâ, æqvum licet statuerit, haud æqvum. Rex etiam ut sorex suo se indicio prodidit, qvæ pietas eum ad accusandos Templarios stimulaverit. Insuper enim habito decreto Concilii, qvo Reges à Templariorum opibus arcen- tur, spretoque suo promisso, qvo possessiones Templariorum in Galliis Ecclesiæ Romanæ contulit, tamen omnia bona cæforum fisco suo adjudicavit. Nec obstat, fassos esse plerosque se, fratresq; ordinis patrâsse dicta scelera: Fassi enim sunt sub exqui- sitissimis tormentorum doloribus, qvæ postea, ubi ad sanam mentem venere, revocârunt. Ita enim Magister Jacob⁹ ad rogum & extremum supplicium tractus dixit: Ego nunc supremis rebus meis, cum locum mendaciō dari nefas sit, ex animo, vereq; fateor, me ingens in me, meosque scelus commisisse, ultimaq; supplicia cum summo cruciatu promeritum, qvi in gratiam, qvorum minimè decuit, dulcedineq; vitæ flagitia impia scele- raq; ad tormenta ementitus sum, in ordinem meum de reli- gione Christianâ optimè meritum. Nec mihi nunc vitâ opus est precariâ & novo super vetus mendacio retentâ. Sed frustrâ fuerunt omnes gemitiis, omnes confessiones, ubi in tribunali jus dixit Injustitia, & regias aures obstruxit intempestivus Zelus. Hodiè quidem intrepidè dicimus, qvod suo tempore suspicatus est Papirius Massonius, Regem illum impium, Pontificem incle- mentem fuisse: sed tunc, qvando maximè opus fuit, nemo ausus est dicere:

SANCTE PATER, PAPA, QVID FACIS?



Kott  
MC

